



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Dvci Et Popvlo Venetorum,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

votionis & testimonium itineris consummati seipfos insigniunt, prædecessores nostri & nos ipsi percipere consuevimus, quàm auctoritatem fundendi ea, vel quibus volueritis fuforibus concedendi, qui vobis tantùm de ipsis respondeant, vobis & per vos canonice vestræ præsentium auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad hæc, sub pœna excommunicationis districtiùs inhibemus ne quis ea præter assensum & concessionem vestram aliquatenus formare præsumat. Decernimus ergo &c. nostræ confirmationis, concessionis, & inhibitionis &c. Datum Laterani XV. Kal. Februarij.

## PHAREN. EPISCOPO.

Epist. 517.  
Vt cum aliquot  
Canonicis Romam,  
causam  
sue translationis  
dicturus,  
veniat.

**M**Irari cogimur & moveri quòd (sicut à multis accepimus) tu regimen Ecclesiæ Iadertin. sine mandato sedis apostolicæ irreverenter assumere præsumpsisti. Licet enim Clerici Ecclesiæ Iadertinæ cum suæ civitatis nuntiis ad nostram præsentiam accessissent, & nobis tam ex relatione ipsorum quàm literarum inspectione, quas tulerant, patuisset quòd in Iadertin. Archiepiscopum electus fueras, immo veriùs postulatus; quia tamen etsi de modo postulationis possemus reddi per easdem literas certiores, de persona tua nobis non poterat fieri certa fides, nec examinare debemus absentem, eis de consilio fratrum nostrorum decrevimus respondere ut aliqui de Canonicis ejusdem Ecclesiæ nostro se conspectui præsentarent; ut de studiis postulantium & de meritis postulati certiores effecti, securiùs in ipso negotio procedere valeremus. adjicientes, quòd licet Episcoporum translatio ad solum pertineat Rom. Pontificem, quia tamen ad venerab. fratrem nostrum Patriarcham Graden. consecratio Iadertin. electi noscitur pertinere, cum de beneplacito nostro procederet ut tibi Palæum conferremus, & tu nobis juramentum fidelitatis præstares, te proculdubio faceremus dicto Patriarchæ Graden. professionem canonicam & debitam obedientiam exhibere. Sed ipsi nuntij tales noluerunt literas reportare. quibus reversis, sine mandato nostro Ecclesiæ Iadertinæ diceris regimen assumpsisse, & in ea tam temporalia quàm spiritualia ministrare. Quia verò grave nimis est quod de tua præsumptione proponitur,

nec subito volumus damnationis sententiam jaculari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium cum competentem numero Canonicorum Ecclesiæ Iadertinæ iter arripas ad sedem apostolicam veniendi, redditurus nobis super excessu, quem prædiximus, rationem; ita quòd si culpabilis inventus non fueris, cum nobis de postulatione canonica & personæ tuæ idoneitate constiterit, translationis gratiam & usum Pallei recipere merearis; postmodum debitam nobis fidelitatem, & dicto Patriarchæ professionem canonicam, impenfurus. Alioquin ex tunc te noveris ab officio pontificali suspensum, & nos Canonicis Iadertinæ Ecclesiæ dedisse firmiter in mandatis ut aliam personam idoneam canonicè sibi eligant in pastorem. Datum Laterani III. Nonas Decembris.

Vide infra lib.  
2. epist. 251. c.  
seq.

*Scriptum est Iadertinis Canonicis in eundem ferè modum usque ad verbum suspensum. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si prædictus Episcopus præceptum nostrum contempserit adimplere, vos aliam personam idoneam vobis eligatis canonicè in pastorem. Datum ut suprà.*

Epist. 518.

DVCI ET POPULO  
Venetorum.

**I**N favorem orientalis provinciæ, præter peccatorum veniam quam in suis illuc expensis proficiscentibus pollicemur, & apostolicæ protectionis gratiam, quam eidem terræ subvenientibus indulgemus, illud etiam Lateranen. Concilij constitutum curavimus innovare, quod eos qui Sarracenis arma, ferrum, lignamina galearum ministrare præsumperint, & in galeis & piraticis eorum navibus curam gubernatoris & regimen exercere, ab Ecclesiæ communione præcidi, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos rerum suarum per Principes seculi catholicos & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capti fuerint, fore decernit, ad exemplar felicitis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri omnes illos excommunicationis sententiæ supposuimus qui cum eis de cetero habere confortium vel per se vel per alios, navibus seu alio quocunque ingenio aliqua re-

Epist. 519.  
Ne Sarraceni  
arma & fehdum  
subministrarent  
preceatorum  
mercatorum.

Concil. Later.  
sub Alex. 3. c. 11.

rum suarum subsidia impedere vel transmittere attentaverint, quandiu inter nos & ipsos guerra durarit. Verum accedentes nuper ad apostolicam sedem dilecti filij nobiles viri Andreas Donatus & Benedictus Grilion nuntij vestri nobis exponere curaverunt quod ex constitutione hujusmodi civitati vestrae proveniret non modicum detrimentum, quae non agriculturis inservit, sed navigiis potius & mercimoniis est intenta. Nos igitur paterno dilectionis affectu, quem ad vos specialiter habemus, inducti, sub distractione anathematis prohibentes ne in ferro, stupa, pice, acuris pironibus, funibus, armis, galeis, navibus, & lignaminibus paratis, vel imparatis, vendendo, donando, vel commutando Sarracenis ministrare subsidium praesumatis, sustinemus ad tempus, donec super hoc aliud dederimus vobis in mandatis, ut in regnum Aegypti vel Babylonis alia initari commercia, cum necesse fuerit, transfretetis; sperantes quod propter hanc gratiam in subsidium Hierosolymitanae provinciae debeatis fortius animari; provisuri ne quid in fraudem circa statutum apostolicum praesumatis: quia dubium esse non debet eum divina ligari sententia, qui contra propriam conscientiam in elusionem hujus mandati fraudulenter aliquid attentabit. Datum ut supra.

EPISCOPO GEVRICENSI  
& Abbati de Boccan.

**I** Nauditum falsitatis genus tam novitate nocendi quam praesumptionis audacia univerfa ferè haecenus inventa genera falsitatis excedens, perpetratum praedecessorum nostrorum temporibus, nostris est auribus revelatum. Sanè proposuerunt nobis dilecti filij magister R. Praepositus Colocen. & magister I. Archidiaconus Seghedien. quod magister L. Tarvisinus olim ad apostolicam sedem accedens, de regesto felicis recor. Alexandri Papae praedecessoris nostri quandam chartam dolosè surripuit, quam in ea parte dolosè abscedit, qua tribus aliis chartulis, quia fuerat in quaterno medio, jungebatur, filo integro remanente. Cum autem idem Praepositus eandem nobis chartulam praesentasset, ex eo rem sic se habere cognovimus, quod in proximo praecedenti chartula ejusdem regesti quarundam habebatur principium

literarum, quas eadem pagina terminabat, & rursus circa finem ipsius paginae quaedam literae fuerant inchoatae, quae finiebantur in folio subsequenti. Cum igitur hujusmodi falsitatis vitium tanto amplius persequi debeamus, quanto majus posset scandalum generare, cum pro literis de quibus dubium est an à sede apostolica emanarint, ad regestum de consuetudine recurratur, cum etiam vix posset aliquis amplius Rom. Ecclesiam offendere quam si ei regesta & alios libros surriperet in quibus tam ipsius quam aliarum Ecclesiarum privilegia continentur, discretionem vestrae per apost. scripta mandamus atque praecipimus quatenus magistrum P. Strigonien. Praepositum & magistrum Robertum Anglicum & Azonem Presbyterum, quos hujus iniquitatis \* confocios esse audivimus, ad vestram praesentiam evocantes, ab eis sub iurejurando veritatem diligentius exquiratis, quo mandante, cujus consilio, quo conficio, & quo procurante tantae falsitatis crimen fuerit attentatum. Confessionem autem ipsius sub iurejurando factam, redactam in publicam manum, ac vestris sigillis signatam, ad nos sine dilatione aliqua transmittatis. Volumus autem, & sub eadem districtione mandamus, ut tam eos, quam alios, qui hujus iniquitatis participes fuisse dicuntur, ad veritatis assertionem, monitione praevia, per suspensionis & excommunicationis sententiam appellatione postposita compellatis. Datum Laterani III. Kalendas Februarij.

*Scriptum est super hoc ferè in eundem modum Patriarchae Gradenfi.*

P. DE CASTRONOVO  
Archidiacono Magalonenfi.

**C** Vm olim bonae memoriae Magalonenfis Episcopus, habito dilectorum filiorum P. de Agrifolio Archidiaconi & B. Prioris claustralis assensu, te ad vacantem archidiaconatum ejusdem Ecclesiae nominasset, Praeposito ut nullus tibi, nisi prius duplici voce sibi concessa, institueretur, per appellationem interpositam inhibente, Episcopus, tum quia contra antiquam Magalonen. Ecclesiae consuetudinem & commune jus canonum esse dicebat aliquem sibi vocem duarum personarum in eadem Ecclesia vindicare, tum quia ex indulgen-

Q9 ij

Epist. 540.  
De pagina eorū  
qui crimen falsi  
commiserunt.  
Vide infra epist.  
549.

Epist. 541.  
Ipsi archidiaconatum confirmat.  
Vide supra epist.  
267.